

Wg. 40.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA

DE

INDOLE ATQVE EFFECTIBVS
INSTRVMENTI ADSECVRATIONIS
QVOD VULGO
POLIZZAM

VOCANT

PRAESERTIM EX JVRE HAMBVRGENSI
SPECTATI

QVAM

AVCTORITATE INCLYTI JVRECONSVLTORVM
ORDINIS.

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA

PRO

SVMMS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS

DEFENDET

DIE V APRILIS MDCCCLXXXVI.

JOANNES MATTHIAS HASSE
HAMBVRGENSIS

GOTTINGAE

TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

SACRI ROMANI IMPERII

LIBERAET INCLYTAE

REIPUBLICAE HAMBVRGENSIS

SENATVI

SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIMO

VIRIS

MAGNIFICIS PERILLVSTRIBVS CONSUL-
TISSIMIS EXCELLENTISSIMIS

PATRIAE PATRIBVS
PATRONIS ET FAVTORIBVS
SVIS INDVLGENTISSLIMIS
HAEcce
STVDIORVM SVORVM CONAMINA
OMNI QVA PAR EST REVERENTIA ET VERECVNDA

OFFERT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS
AVCTOR

SECTIO I.

DE

CONTRACTU ADSECURATIONIS ET POLIZZA IN GENERE.

§. 1.

Adsecuratio est conventio, qua quis periculum alicujus rei pro definito pretio in se recipit.

Hic, qui rem alterius sui periculi facit, *adsecurator*, is vero, qui rem suam adsecuratione tueri curat, *adsecuratus* vocatur. Pretium denique pro suscepito periculo promissum, *praemii* nomine venit.

§. 2.

Origo hujus contractus maxime est incerta. Alii quaedam eius vestigia jamjam sub fine saeculi duodecimi in Gallia deprehendi perhibent; a) alii vero saeculum decimum tertium & quartum adse-

cura-

a) VON SONNENFELS Grundfaetze
der Polizey, Handlung und Fi-
nanz. Th. II. p. 391.
Ludovici neu eroefniete Akade-
mie der Kaufleute sub artic.

Affecuranz.
MAY Versuch einer Einleitung in
die allgemeine Affecuranzwi-
senschaft, Band II. Stück 5.
Hauptstück I. §. 792.

A

curationum origini adsignant; a) nec desunt, qui ante saeculum decimum quintum & sextum illas in usu fuisse negent b).

§. 3.

Hanc in rem, a scopo nobis proposito nimis alienam, penitus haud inquirimus. Scire sufficit, adsecurationis contractum promovendi commercii caussa introductum, neque ab initio ex certis regulis, sed ex pleno contrahentium arbitrio, initum fuisse.

Adsecurationis objecta si respicimus, primum quidem ad eantummodo, quae per mare transvehenda erant, postea vero ad alias etiam quascunqueres applicata est adsecuratio; ita, ut vel merces plaustro in alium locum vehendae, c) naves ipsae, domus, horrea, cellae subterraneae d) &, paucis ut multa complectiar, omnia, quae igne, aqua, bello e) aliove quounque modo detrimentum capere possunt, quid? quod vita & libertas hominum, f) lucrum imaginarium g), praemium

adie-

- a) HERTIUS in paroemiis Juris Germanici Lib. I. paroem. 43. §. 7.
- b) LÄNGENBERG Anmerkungen ueber das hamb. Schiff- und Seerecht Suppl. VI. von Assuranzien §. II.
- c) HAMB. ASSEC. ORDN. Tit. III. A. I. Rotterd. A. O. a. 6. SIGISMUND SCACCIA tractatus de commerciis §. I. Qu. I. n. 142 und 292. §. 3.
- d) H. A. O. T. III. A. 2. ROTTERD. A. O. a. 13.
- e) H. A. O. I. c.
- f) H. A. O. I. c. a. I. AMSTERD. A. O. a. 13. ALLGEM. LANDRECHT F. D. PREUSS. STAATEN Th. II. Tit. 8. §. 1970. FRANZ. ZOES. SEERECHT. I. III. t. I. a. 9.
- g) H. A. O. I. c. a. 2. SCHWED. A. O. a. 3. §. 1. ALLGEM. LANDR. &c. I. c. §. 1991. AMST. A. O. a. 17. Verita autem est haec adsecuratio in ROTTERD. A. O. a. 18. FRANZ. SEERECHT I. III. t. 6. a. 15. COPENH. A. O. a. 6. §. 3.

adsecurationis a) nec non sponsiones adsecurari possint. Quo factum est, ut adsecuratio hodie non medium sit tantummodo promovendi commercia, sed etiam singulare genus commercii habeatur b).

§. 4.

Ad essentiam hujus contractus, in se spectati, scriptura haud requiritur, quippe quum ille; simulatque contrahentes in suscipiendum periculum solvendumque praemium consenserint, perfectus sit. c)

Neque antiquissimis temporibus hac in re usi sunt scriptura; omnia posita erant in fide bona contrahentium litesque fortassis subortae per testes atque juramenta dirimebantur d).

Quum vero postea, commercio magis magisque efflorescente, adsecurations augescerent eademque super objectis, hoc usque haud solitis, inirentur; quin imo contractibus adjectae conditions pro diversitate objecti admodum diversae evaderent: non potuerunt non multiplicari lites, quarum decisionem difficillimam esse oportuit, quum non statim post initum contractum, sed post quoddam tempus obligationem suscepitam adimplere potuerit e) adsecurator. Quo igitur ejusmodi lites sive plane elidantur, sive ad decidendum saltim reddantur

a) H. A. O. T. III. a. 3. ALLG.
LANDR. §. 1980.

b) v. SONNENFELS I. c. T. II.
P. 393.

c) III. POPPE Diff. de litium assecurat. causa orientium decisione
p. 17. §. 8. WERLHOF Differt.
de iufrum, adfec. vulgo Polizza,

p. 27. §. 8. EMERIGON traité
des assurances T. I. p. 26.
BALDASSERONI delle assecurazioni
maritime. T. I. p. 36.
§. 8.

d) GUIDON DE LA MER, ch. I. a.
I. EMERIGON I. c.

e) POPPE I. c. p. 18.

etur faciliores, in pluribus adsecuracionum ordinationibus, quas ceterae sensim ad unam fere omnes secutae sunt, a) sub poena nullitatis totius negotii cautum est, ne ullus adsecuracionis contractus absque scriptura celebretur. Quem quidem in finem ex nonnullis ordinationibus litterae publica auctoritate munite adhibenda sunt, ita, ut privatis instrumentis uti nefas sit. b) Atque sic quidem scriptura licet ad negotii, de quo loquimur, naturam haud pertineat, lege tamen jubente adeo necessaria facta est, ut adsecuracionis contractus, super quo scriptura haud confecta est, omnino infirmetur.

§. 5.

Instrumentum hocce, POLIZZAE nomine insignitum, nihil aliud est, quam scriptura super adsecuracionis contractu secundum formam legibus praescriptam confecta. c)

Ad etymologiam vocabuli quod attinet, de eadem viri docti maxime inter se disputant. Optime autem illud, ut mea fert sententia, a verbo latino *polliceri* derivatur. d)

§. 6.

Adsecuracionis instrumenta vario modo dividuntur. Primum enim, si ad objecta, super quibus illa consciuntur, spectamus, tot

- a) H. A. O. T. I. a. i. VERORD-NUNG PHILIPPS II. a. 34 und 36. L'ORD. DE LOUIS XIV. I. III. t. 6. a. 2. NEU. ROTTERD. A. O. a. 76. AMST. A. O. a. 38. ALL-GEM. LANDR. I. c. §. 2064. EMERIGON T. I. p. 27.
- b) ANTW. A. O. v. Phil. II. a. 2. SPAN. A. O. v. Phil. II. a. 34.

EMERIGON I. c.

c) WERLHOF I. c. p. 27. §. 8.
d) WERLHOF I. c. §. 7.

HERRMAN VON DER HARDT epistola de germana polizzae origine.

MICHAEL RICHEY Anmerkungen ueber diese Epistolam.

polizzarum genera oriuntur, quot sunt objecta adsecurationum; aliae e. c. quae super mercibus, iisdemque vel per mare vel per terram transvehendis, aliae, quae super nave ipsa cert. conduntur. a) Deinde ratione modi & solennitatum, prout instrumenta vel publica, vel privata auctoritate conficiuntur, in publica & privata abeunt. Quoad effectum autem inter varia haec polizzarum genera nihil discriminis interest, nisi hujus illiusve loci leges caveant, ut quaecunque polizza publica auctoritate conficiatur. b) Neque tacitus hic praeterire possum polizzam in *blanco* quam vocant, sub qua quidem eam comprehendendo, quae, contractu adsecurationis ipsi nondum inserto, ab adsecuratore subscribitur.

Verum fraus atque lites, quae hinc parari possunt, ansam dedere, ut ejusmodi instrumentorum usus in omnibus fere adsecuratum ordinationibus prohiberetur. Quae quidem licet ita sint, eadem tamen vel nostris diebus haud raro adhiberi scimus. c)

§. 7.

Ubi adsecurationis contractus satis frequenter ineuntur, ibi etiam pro diversitate objecti adsecurationis, instrumentorum diversa exstant exempla, typis expressa, quibus quidem sub poena nullitatis negotii contrahentes uti oportet d). Horum patria adsecurationis ordinatio

a) WERLHOF I. c. §. 9. p. 28.

b) STYPMANNUS p. 4. c. 7. n. 421. p. 139. & n. 499.

c) EMERIGON I. c. t. I. p. 47. LANGENBEKS Anmerkungen

p. 380. §. 24. L'ORDONN. DE LOUIS XIV. L. 3. t. 6.

d) H. A. O. T. I. a. I. T. XXIII.

a.4. AMST. A. O. a. 38. SCHWED.

A. O. a. 4. §. I.

dinatio septem diversa genera exhibet; p. quae nominatim. 1) ad ipsius navis, 2) mercium mari transvehendarum, 3) bodemeriae & vecturae mercium, 4) piscatus Groenlandiensis cet., 5) vitae hominis, 6) periculi Turcarum, 7) mercium per fluvium terramve transvehendarum adsecurationem spectant. a) Quarum quidem polizzarum usus tum demum cessat, si quis domus, horrea, cellas subterraneas, aliaque objecta, ad quae instrumenta, modo commemorata non spectant, adsecurari velit. Hisce nimurum casibus aliis exemplis, privata contrahentium auctoritate conficiendis, locus est, quae in judicio eodem robo gaudent eosdemque producent effectus, ac si typis expressae sint.

§. 8.

Ad exempla polizzarum typis expressarum, quod attinet, haec ita comparata sunt, ut nil, nisi essentialia contractus contineant, spatiis vacuis ad implenda ea destinatis, quae praeter essentialia contractus pacientes sibi stipulentur, linea autem transversa delendis, quoties nihil adjectum fuerit. b) Multum igitur abest, ut vetitum sit, ne partes praeter istas conditiones, quarum in ejusmodi polizzis mentio facta est, alias paciscantur, ut hae potius, quatenus in subscriptione additae sint exemplo, non eadem solum cum illis, quae typis expressae sunt, gaudeant virtute, verum etiam, si his repugnant, iisdem praferendae sint. c)

§. 9.

a) H. A. O. T. III. a. I.

b) L'ORDONN. DE LOUIS XIV. L_t
III, t. 64. a. 8.

c) H. A. O. T. IV. a. I.

ill. POPPEI, c. §. 8. p. 19.

§. 9.

Pro quavis navi & pro singulis mercibus, diversis navibus impositis, singulae adhibendae sunt polizzae, quippe quum plures contractus in unam conferre non liceat polizzam. a) Ceterum, quamvis una eademque res vel propterea bis adsecurari nequeat, b) quod, quae nullum periculum subeunt, adsecurationem haud recipient; nihil tamen minus fieri posse, ut super una eademque re plures polizzae conficiantur, facili negotio cuivis intellectu erit, animo secum perpendiculari, plures adsecurations, quea, si in unam conferantur, rei adsecratae pretium non superent, unius omnino adsecurationis naturam nancisci.

S E C T I O N I .

DE IIS, QUAE IN ADSECURATIONUM INSTRUMENTIS
REQUIRUNTUR.

§. 10.

Paucis hisce praemissis jam ad interna polizzarum requisita me converto, ita tamen, ut non nisi de iis, quae super mercibus, mari transvehendis, & super navi ipsa conficiuntur, utquae frequentissime occurruunt, secundum polizzarum ordinem locuturus sim, reliqua aliorum disquisitioni atque studio relitterus.

§. 11.

- a) H. A. O. T. XXIII. a. 4. AMST.
A. O. a. 58. SCHWED. a. 4. §. 1.
b) Exceptio est in adfecur, super

sponzionibus, ut & quodammodo in reassecurazione.

I. Nomen adsecurati.

Sicuti alias cujuscunque, ita etiam adsecurationis contractus natura postulat, ut contrahentes se invicem noscant; unde sequitur, ut in polizza nomen adsecurati exprimentum sit, quia alias adsecurator scire non potest, quisnam ille sit, quocum contractum adsecurationis iniverit a). Complures tamen adsecurationis ordinationes, ab hac regula recedentes, permittunt; adsecurati nominis loco, polizze verba inferri „Zeiger dieses vel fuer Rechnung, wenn es angehen mag; b) id, quod tamen in aliis adsecurationis ordinationibus expresse vetum est. c)

Adsecurato autem fere semper integrum est, in polizza indicare, an proprio mandatarioye nomine adsecurationem pactus sit; casumque posteriorem verba: *fuer fremde Rechnung*, instrumento addita, satis clare indicant d). Neque vero mandans nominetur opus est, cum adsecuratoris re vera nihil intersit, mandantem scire; etenim, intuitu obligationis ad solvendum praemium mandatarius adsecuratori obstrictus manet. e) Quodsi autem, qui adsecurationem contrahit, adhuc ignorat, num merces adsecuratae sibi sunt propriae, an mandatae, quod quidem

- a) cl. BUESCH p. 52. §. 6. ALLGEM. LANDR. I. c. §. 2069.
GEM. LANDR. I. c. §. 2069.
EMERIGON I. c. p. 55. FR. SEERECHT I. III. t. 6. a. 3.
DANZIGER WILLKUEHL T. I. c. 4. Abschn. 10. a. 3.
b) H. A. O. T. I. A. I. a. 4. n. I.

- ALLGEM. LANDR. §. 2071.
c) AMST. A. O. a. 2. SCHWED. a. 4.
d) H. A. O. T. I. a. 4. n. 2.
BUSCH I. c.
e) ALLGEM. LANDR. §. 2105.
EMERIGON T. I. p. 134. STRACCHA p. 606.

9

quidem ob longinquitatem loci interdum accidit, ipsi verba fuer eigene
oder fuer fremde Rechnung addere a) licet.

Omnibus vero hucusque commemoratis casibus adsecurator,
ubi restituendum est damnum, rei adsecuratae illatum, jus habet po-
scendi, ut nomen adsecurati sibi indicetur, & quaevis legitimatio ad
probandam communionem rei desperitiae necessaria, adferatur, b)

Domicilium adsecurati tum modo adponendum videtur, quum
eo ipso suscepit augeatur periculum ejusque ignorantia non possit
non deteriorem reddere adsecuratoris conditionem, c) id quod e. e.
contingit, si adsecuratus inter belligerantes vivat.

§. 12.

II. *Nominatio mercium adsecuratarum.*

Omne id, quod periculum subit, adsecurari potest, nisi lex
specialis quarundam harum rerum adsecurationem prohibeat. Quae
vero sub ejusmodi prohibitione contineantur, sigillatim hic recensere,
mearum partium non duco, praefertim quum illa pro locorum di-
versitate maxime variantur. Comprehenduntur autem objecta adsecu-
rationis fere semper sub generali nominatione der Kaufmannschaften,
quae quidem appellatio loco specialis rerum adsecuratarum indicis po-
liziae inferi solet. d) Neque tamen desunt res, quae speciali signifi-
catione indigent. e)

Atque

- | | |
|--|-----------------------------|
| a) H. A. O. T. I. a. 4. n. 2. | c) MAGENS Versuch &c. p. 9. |
| b) H. A. O. T. XIII. a. 2, ALLV.
GEM. LANDR. §. 2072. | d) H. A. O. T. IV. a. 8, |
| | e) H. A. O. I. c. |

B

Atque hoc pertinent adsecurations

1) super mercibus fluidis & corruptilibus, a) in quibus desideriis adsecurat. Ordinn. valde discrepant, 2) super apparatu bellico, b) 3) super mercibus, quas natio aliqua, bellum gerens, vetitas declaraverit, c) 4) super geminis, nec non auro argentoque & signato & non signato, super margaritis rebusque pretiosis, d) 5) super servis & bestiis, e) 6) super pecunia bodmeratia. f) 7) Porro, quoties adsecrator adsecurationem suscepit readsecurare curat, in polizza exprefle notandum est, adsecurationem hanc continere readsecurationem. g) 8) Si adsecuratio mercium ita sit, ut nomen navis, quibus illae insunt, haud laudari possit, h) adsecuratum omnia rerum adsecuratarum characteres tam accurate indicare oportet, ut illae ab aliis distingui possint. Huc vero pertinet, ut v. c. mercium qualitatis atque ponderis, nec non signorum, ipsis impositorum, mentio fiat. Ceterum simulatque de navi ipsa certi quid compertum habet adsecuratus, hoc cum adsecratore

statim

- a) HAMB. SEER. T. IV. a. 8.
FRANZOES. SEER. I. III. t. 6.
a. 31. MIDDLEB. A. O. a. 7.
SCHWED. A. O. T. V. §. 4.
b) H. A. O. T. IV. a. 10. RECAP.
DE LEYES DE LAS Indias. Lev.
XXXIII XXXVI. und XLVI.
c) H. A. O. T. IV. a. 10. SCHWED.
A. O. a. V. §. 3.
ROTTERD. A. O. a. 3. FR. SEER.
I. c.
d) MIDDLEB. A. O. a. 7. ROTTERD.
a. 41. AMST. a. 10. SCHWED.
a. 5. §. 3. DANZIG. WILLK.
Cap. 4. Abschn. 10. a. 3.
A. O. HAMB. c. 1. supra recenfi-

tas res etiam sub nomine Kaufmannschaften comprehendit.

- e) REGAP. I. c. EDICT. FLORENT,
f) AMST. A. O. a. 21.
g) H. A. O. T. XIII. a. I.
SCHWED. A. O. a. 10. §. I.
h) ORD. AMST. a. 7. praefribit,
ut hocce casu nomen mandantis,
ut & dies, qua adsecuratio
nis negotium mandatum est,
affleratur nec in ejusmodi polizis restitutio praemii (*Ri
florno*) locum habeat.
ALLGEM. LANDR. &c. §. 2080.
cf. H. A. O. T. XIV. a. 4.

II

statim communicandum est. a) 9.) Quando quis plures merces navis imponit, quarum periculum pro parte ad semetipsum, pro parte vero ad adsecuratorem spectat, nominatum indicandae sunt res in adsecurationem deductae. Neque minus adcurate consignanda sunt ea, quae ad adsecurationem in diversis locis initam pertinent. b)

Omnibus hisce casibus rei adsecuratae significatio in polizzae litteris omissa, tantum efficit, ut adsecutor ab obligatione suscepta plane liberetur.

§. 13.

III. *Tempus, quo navis a loco, ubi periculum incipit, abiit, vel abitura est. c)*

Hocce scire, multum adsecutoris interest, quia magnitudo periculi suscepti magnam partem inde pendet.

Majus enim periculum adsecutori timendum est, si hyemali, minus vero, si aestivo vel potius vernali tempore abierit navis, neque praemium in casu posteriori promissum, periculo in priori suscepto par habendum est.

Qualicunque igitur contractu adsecurationis inito, ex polizza, super eodem confecta, constare debet, utrum navis, mercibus omnibus ipsi jamjam impositis, ad cursum parata existet, an & quamdiu

a) MAGENS p. 14.

b) H. A. O. T. IV. a. 14. EME-RIGON T. I. Ch. 10. S. 7.

c) H. A. O. T. IV. a. 12. SCHWED. A. O. a. IV. n. 5. Danz. Willkuehr Th. I. c. 4.

B 2

a loco impositionis mercium jamjam abierit, & quoniam in loco adhuc commoretur. Si nulla harum rerum mentio facta est, navis, ex numerinis litteris, quas adsecuratus tempore contractus super ea vel accipit, vel saltim accipere potuit, adhuc in loco onerationis fuisse creditur. a)

Adsecuratus autem, si sciens, navem tempore contractus a loco onerationis jamjam abiisse, hac de re adsecuratorem haud facit certiorem, adsecuratio nulla est, totumque praemium adsecuratori cedit. Neque consistit adsecuratio tempore, quo navis abire debebat, sive dolo, sive culpa adsecurati dilato. Nulla vero adsecurati culpa interveniente, quodsi iter differatur, adsecurator haud quidem ab obligatione suscepita liberatur, attamen pro majori periculo, inde parato, maius etiam praemium poscere potest. Hinc prudenter agunt, qui praemii incrementum, cui tali casu locus esse debeat, omnem in eventum, in adsecuracionis contractu definiunt. b)

§. I4.

IV. Initium & finis periculi, ab adsecuratore suscepti.

Adsecurator plerumque omne omnino periculum, in aliqua itineris parte rei adsecuratae imminens, in se recipit, ita ut de periculi tempore in polizza nihil definiatur. Interdum tamen contingit, ut illud non, nisi in certum aliquot temporis spatium certosve menses ab adse-

a) H. A. O. I. c. a. 13.

b) BUESCH Th. II. p. 70. §. 13.

ALLGEM. LANDR. §. 2126, -
2129, seq.

adsecuratore suscipiatur. a) Quo facto, tempore hoc effluxo adsecuratio statim finitur, quamvis iter nondum sit confectum, neque adsecrator ad periculum in longius tempus suscipiendum cogi potest, nisi in polizza aliud constitutum sit. Rarissime autem occurunt ejusmodi adsecurations in certam tempus factae, quippe quae litibus praebent occasionem exoptatissimam. Haud raro scilicet dubitatur, quin damnum quoddam intra tempus conventum accideat; ut & disceptatur, num istud restituere teneatur adsecrator, quod intra adsecurations quidem tempus natum, post illud autem re vera perfectum est. b) Si nihil omnino de periculi tempore inter partes definitum est, in totum iter, donec scilicet in certum quandam locum navis pervenerit, facta censenda est adsecuratio, ita ut adsecratoris periculum a momento illo initium capiat, quo merces a terra ablatae sunt. Quid? quod adsecrator vel istud damnum restituere tenetur, quod mercibus, quum navi imponerentur, eorum culpa datum est, quibus hoc negotium demandatum erat. Nec aliud obtinet intuitu detrimenti, quod merces naviculis illis, quorum ope ad naves ipsas deportantur, illatae patiuntur. c) Quibusdam vero in locis non, quam primum a terra ablatae sunt merces, sed a certo tantum loco, ad quem adsecratus istas advelli curare tenetur, adsecratori cedit periculum. d)

In

- a) H. A. O. T. V. a. 15. Talis mensis 30 diebus conflat.
- b) Exempla vide apud ENGELBRECHT in Weskettis Theorie und Praxis der Assüranzen, B. III. Abth. 2. p. 67.
- c) H. A. O. T. V. a. II, Amst.

- A. O. a. 5. Rotterd. a. 46. 47.
BUESCH, I. c. p. 66. §. 12.
- d) Exceptio est in polizzis Londonibus, ex quibus periculum incipit a momento, quo merces navi ipsi impositae sunt,
v. MAGENS p. 50.

In nave ipsius adsecuratione periculum incipit a momento, quo
ipsi vel faburra, vel merces impositae sunt. a)

S. 15.

Quoad finem periculi suscepit distinguendum est inter adsecur-
ationem super mercibus & navi ipsa initam.

In mercium adsecuratione finitur illud, b) ex quo merces navi
impositae in loco iisdem exonerandis destinato, ad terram deportatae
sunt, quod quidem absque ulla mora fieri debet. Quo minus igitur
hac in re peccetur, in pluribus adsecurationum ordinationibus certum
exoneracionis perficienda tempus definitum est. c) Quod quidem
quam saepius nimis angustum sit, nec non dies sanctae passim exone-
rationem vel prorsus impedian, vel difficillimam reddant: optime
sane sibi consulunt, qui in ipso adsecurationis instrumento exonerandae
navis spatium adcurate definire student. d)

Quodsi contra navis ipsa in adsecurationem recepta est, adse-
curatoris periculum durat, donec illa in locum definitum advecta, vel
mercibus, vel faburra exonerata est. e) Nave autem aliqua, ab altero
quoad abitum, ab altero quoad redditum adsecurata, hujus quidem pe-
riculum incipit a momento, quo merces navi redeunti impositae sunt,
quamvis

a) ENGELBRECHT l. c. p. 69.

b) v. §. anteced.

c) Ex Adsecurat. Ordinatt. Lon-
dinenſi & Hispanica 24 horae,
ex quo navis in portu ancoras
iecit, ROTTEROD. T. XIX. 14.
dies profestae, ex AMSTELOD.

a. 6. dies 21. perficiendo huic
negotio definitae sunt.

d) MAGENS p. 51. c. 34.

e) H. A. O. T. V. a. 12. Büſch
l. c. p. 67. KLEFEKER Samm-
lung der Hamb. Gefetze, T.
VII. p. 333.

quamvis eadem rebus ad portatis nondum exonerata sit, durat vero illud, usque dum navis ad locum, unde exiit, redierit, exonerataeque sint merces. a) Quae quum ita sint, haud raro accidit, ut navis, si merces ipsi redeunti imponendae adhuc desint, per hoc tempus plene non adsecurata sit habenda.

Si polizzae nuda addita est clausula: *Cum vel sine praefidio, praemium, simulac navis, quomodo etiam hoc factum sit, in locum destinatum pervenerit, ad adsecuratorem omnino pertinet.* b)

§. 16.

V. Locus \mathcal{E} impositionis \mathcal{E} exonerationis mercium.

Adsecurator istud modo damnum restituere tenet, quod in certo itinere datum est. Hinc locorum, ubi merces navi imponendae & exoneranda sunt, in adsecurationis instrumento mentionem fieri opus est. c) Sub emporiis vero, quae forsan in polizza laudantur, non semper ipsae urbes mercatoria intelliguntur, verum etiam loca, iisdem adjacentia, in quibus vel impositio, vel exoneratio mercium fieri solet. d) Quodsi vero alteri locorum cum altero ratione periculi, ab adsecuratore suscepiti, quidquam discriminis intercedit: adsecurator, damnum alio, ac illo loco, qui ex polizza impositioni vel exoneracioni destinatus erat, navi dato restituere non tenetur, licet loca ipsa, de quibus sermo est, quam maxime sibi sint vicina. e)

Super

- a) H. A. O. T. V. a. 4.
- b) H. A. O. T. IV. a. 4.
- c) H. A. O. T. I. a. 4. n. 4. FR.
SEER. c. 6. a. 3. MIDDLEVRG
A. O. n. 9. ROTTED. A. 72.

- SCHWED. A. O. a. 4. §. 2. n. 4.
- d) EMERIGON ch. 36. p. 54. AM-
STERD. A. O. a. 4.
- e) KLEFEKER T. VII. p. 458.

Super navi, quae in plura loca tendit, si adsecuratio inita fuerit, quicunque horum locorum, quid? quod vel is nominatum commemorandus est, qui in omnem eventum fortassis peti possit. In mercium autem adsecuratione, quae in proximo loco exoneranda sunt, ea non, nisi hujus loci appellatione indigent. Quaecunque vero in ultiora loca spectant, eorum causa vel omnes, qui ante exoneracionem a nave tanguntur, portus laudandi sunt. a)

Quando navis, sciente adsecuratore, portum ingreditur isto, ad quem secundum polizzam illam tendere oportebat, propiorem, adsecuratoris periculum statim fuitum est. b) Fingas autem, vel propter ea, quod navis propinquiores portum petiunt, damnum illi illatum esse, hujus tamen reparatio ad adsecuratorem non pertinere videtur, quippe qui ex polizza, stricte, immo ad verbum interpretanda, non hujus, sed longe alius itineris suscepit periculum. Nec portus ingressi propinquitas hac in re quidquam mutat, praesertim quum fieri potuisse, ut periculum, licet mero casu datum, non acciderit, nisi iter mutatum fuisset, c).

Quidquid autem periculi damnumque navis, antequam a recta deflexit via, passa est, adsecurator restituere tenetur. Nec aliud locum habet, ubi nauta, vel inscio aut invito adsecurato, vel dura necessitate coactus persecutus est, salvus tamen illo casu contra nautam manet regressus. d)

Q. ini-

a) BÜSCH I. c. p. 60.

b) H. A. O. T. VII. a. 5.

c) Diff. MAGENS p. 55, c. 38
KLEFEKER p. 476.

d) L'ORDONN. LOUIS XIV. I. III.
t. 6. a. 36. AMSTERD. A. O. a. 6.
SCHWED. SEER, a. 51. H. A. O.
T. VII. a. 5.

Quin imo expresse in polizza notandum est, an nautae portum, quem in itinere tacturus est, praeter necessitatis casum ingredi liceat.

Si in polizza locus exonerationis alternative definitus est, adsecurator ab obligatione suscepta statim liberabitur, ex quo navis, ad alterutrum locum adveclla, exonerata fuerit. Tantum enim absit, ut uterque locus ingredi possit, ut super altero, qui relictus est, nova plane ineunda sit adsecuratio. i) Pluribus vero locis, quos navis peritura est, in adsecurationis instrumento copulative positis, antequam adsecurator ab obligatione susceppta liberatum se judicare possit, neminem utrumque locum ingressam esse oportet, k)

Interdum etiam, quamvis ratiissime contingat, adsecurator suscipit navis periculum, quocumque etiam ejus iter tendat, loco aliquo proorsus haud definito. Oritur hic quaesito, num tali casu ad securatorem pertineat vel illud damnum, inde natum, quod merces deportatae veritate fuerint in loco, quem navis ingressa est. Quod quidem negandum arbitror, quoniam nec ad incogitata consensum trahere, neque suspicari possumus, adsecuratorem olim vel ad hoc periculi genus respexit idemque subire voluisse.

§. 17.

VI. Nomen nautae & navis.

Conditio ceteraque qualitates navis, quibus & vexillum, quomunita illa est, ligni genus & modus aedificationis adnumerantur,

C nunc

i) Büsch l. c.

k) H, A, O, T, V, a, ro.

nunc ad augendum, nunc ad diminuendum periculum haud parum faciunt; unde sequitur, ut nec navis, ad quem adsecurator in ineundo contractu respexit, ante ipsius abitum mutari, nec merces in aliam navem imponi possint. Sane igitur quaevis mutatio, ex qualicunque causa inscio adsecuratore facta, hujus obligationen non potest non extinguere.

Nave in itinere tempestate iniqua in litus ejecta, vel plane deperdita illa sit, vel adeo corrupta, ut ipsius ope iter incepsum prosequi nequeat, utique navis alia ad provehendas merces servatas subrogari potest, quo casu ob mutatam navem adsecurator ab obligatione susceppta nequaquam liberatur, quin potius non omnime solum damnum, verum etiam quascunque impensas, intuitu illius factas, resarcire teneatur. b) Si adsecuratus falsa recitatione qualitatum, quibus navis re vera non gaudet, ad contrahendum alterum induxit; nulla est adsecuratio, id quod etiam intuitu erroris locum habet, qui utrinque adfuit. Contraria ex parte, falsa nominatio, modo super navi certa inita sit adsecuratio, contractum ipsum non vitiat, c)

§. 18.

Praeterea ab integritate nautae, & qua instructus est, rei nauticae scientia, multum periculi dependet, quapropter pro lubitu alterum in alterius locum substituere nefas videtur, quamvis plus arbitrii

a) H. A. O. T. I. a. 4 und 5.
FR. SEER. I. III. t. 6. a. 3.
MIDDELB. A. O. a. 9. ROTTERD.
a, 71, AMST. a, 2.

b) H. A. O. T. V. a. 18.
c) CAESAREGIS Difc. I. p. 139.
ALLGEM. LANDR. I. c. §. 2075.

bitrii relictum sit adsecuratis hac in re. Necessitate igitur, aliove causa jubente, adsecurato quidem in locum prioris nautae alium surrogare licet. Ne vero adsecuratoris conditio hinc durior evadat, non omni modo diligentia alterum nautarum pro altero substituere, verum etiam adsecuratorem, quam primum fieri potest, hac de re certiore reddere tenetur adsecuratus.

Interdum etiam clausulam: „*Oder ein anderer fuer ihn*“ polizzae adjectam invenimus, quo facto, quae ad nautam pertinent, profus in arbitrio adsecurati posita censentur, ita tamen, ut in eligendo illo debita adhibeatur diligentia.

Ad nautam ipsum quod spectat, hic non, nisi ex justa causa alium sibi substituere potest. Quod si tamen fecerit, adsecuratori merito obligatus redditur.

§. 19.

VII. *Valor rei adsecuratae;*

Adsecurationis contractus originem si respicis, nil, nisi avertendi periculi remedium praebere debet; quapropter nemini licere videtur, plus adsecurare ejus rei pretio, quae periculum subitura est. Quae quin ita se habeant, navis vel merces adsecuratae semper in polizza taxandae sunt, quo damni restituendi probatio facilior aliquando evadat.

C 2

Licet

a) H. A. O. T. I. a. 4. MIDDLEBURGER A. O. a. 9.
b) BUESCH I. c.

c) H. A. O. T. I. a. 5. l'Ordonn. de Louis XIV. L. III. t. 6, a. 14.

Licet igitur plures adsecuratio*nis* ordinatio*nis* caute*sanxerint*, ut in omni*p*olizza rei adsecuratae valor taxetur; a) nec defunt*tamen* leges, ex quibus penes adsecurato*s* est, utrum nuda aestimatio*n*e, an expressa taxatione uti velint.

Quum praemium, quod adsecuratori prae*statur*, valori, in polizza designato, par sit; adsecuratoris, nisi fraus intercedat, nihil sane interest, an res adsecurata vero majorive pretio aestimetur. Dantur vero casus, quibus omissa rei adsecuratae taxatio adsecuratori detimento esse potest, quod quidem in ipsius navis adsecuratio*n*e accident, ubi magister navis hunc in finem rem adsecuratam majori aestimaverit pretio, ut, consentiente nauta, istam perire curaret. Idem in mercium adsecuratio*n*e contingit, si adsecuratus solus totam navem mercibus oneraverit, quarum verum premium adsecurator scire haud potest. b) Ceterum unicilibet non rei modo ipsius valorem, sed omnes etiam expensas, hujus causa*factas*, e. g. praemium adsecuratio*n*e, in conventionem deducere licet. Si quis denique in polizza, rerum adsecuratarum taxatione destituta, plus adsecurare curaverit, quam in navem illatum est; praemium pro iis, quae navi haud imposita sunt, datur, deductis $\frac{1}{2}$ pro C. repeti potest. Quae quidem repetitio cefat, quando adsecuratio*n*is instrumentum rei adsecuratae taxationem continet. c)

§. 20.

a) AMST. A. O. a. 22. SCHWED.
A. O. a. 4. §. 2. n. 2. DAN-
ZIGER WILLK. Th. I. c. 4.

Abschn. IO. a. 3.
b) BUESCH. I. c. §. 7. p. 55.
c) H. A. O. T. VI. a. I.

VIII. *Praemium, a contrahentibus constitutum, vel solutum, vel adhuc solvendum.*

Sub praemio pretium periculi, ab adsecuratore suscepiti, intellegitur, quod pro hujus magnitudine nunc majus, nunc minus est. Quantitas ipsius nec ulla lege definitur, nec definiri potest, quamvis istud semper conjunctum esse debeat proportione aliqua cum suscepto periculo. Plerumque autem praemium in pecunia numerata consistit. a)

Contractus adsecurationis natura fert, ut ad perficiendam obligationem, ab adsecuratore susceptam, statim post initum contractum ipsi tradatur praemium, praesertim quum hic in polizza, se istud accepisse, fateatur. Nec pristinis temporibus ab hac lege recesserunt contrahentes, quae tamen nostra aetate non amplius custoditur. b) Paucae nimirum exstant adsecurationum ordinationes, in quibus certum definitur tempus, intra quod praemium solvendum sit; c) neque ejusmodi leges scriptae attenduntur, neque attendi possunt. d) Adsecurator vero licet praemium, quod accepisse fatetur, in effectu haud acceperit; propterea tamen ab obligatione suscepta non liberatur. Ex quo facile intellectu est, cur, cl. Büsch teste, nullum apud nos inveniatur exemplum, quo adsecurator non soluti praemii exceptione usus sit.

Quod

- a) Exceptionem v. in Allgem.
Landr. §. 2107.
- b) EMERIGON T. I. p. 62.
- c) ALLGEM. LANDR. §. 2067.

- d) KLEFEKER T. VI. p. 374.
Caufflas refert BUESCH l. c. quare
etiam T. XXIII. a. 7. und 9.
hodie cessare videntur.

Quod restat, per proxenetam, qui adsecurationis contractui ineundo operam suam ministravit, adsecutori recte traditur praemium, si hic illi fidem dederit, neque ab adsecurato quidquam peti potest, si praemium praealiterit proxenetae, qui postea foro cessit. Eodem autem nondum soluto, adsecutori omnino obligatus manet adsecuratus.

§. 21.

IX. *Suscepum periculum.*

Adsecutor in adsecurationis contractu omne periculum suscipit, quod alioquin adsecuratus ipse subiisset. a) Atque hoc spectant, quae polizzis inseri solent, verba: „Wir (Assieurdeur) setzen uns völlig in den Platz von besagtem Herrn Assurirten, um denselben „von allem solchen Schaden sicher zu stellen.“

In definiendo autem hoc periculo cuiuscunque loci leges sedulo inspiciendae sunt, ut quae pro diversitate sua nunc plus, nunc minus sub illo comprehendendi jubent; licet ex plurium adsec. Ordin. verbis colligi possit, vel de inopinatissimo casu adsecurationem intelligendam esse. b) Quae licet ita sint, nihilominus tamen saepe accidet, ut adsecratores a suscepta obligatione vel eo se se liberare contentur

a) H. A. O. T. V. a. I. L'ORDONNANCE DE LOUIS XIV. I. III. t. 6. a. 26. AMST. A. O. in f. MIDDLEB. A. O. in f. ROTTERD. a. 42.

b) H. A. O. I. c. ROTTERD. I. c. GROLLMANN Diff. de Juré adsec. S. 2. §. 9. BOEHMER Diff. de discriminis tempestatis marinae c. 3. §. 7. CRON. c. 3. §. 20.

nentur, quod initi contractus tempore de hoc illove genere periculi cogitatum aut cogitari potuisse negent, c)

Sunt autem certa damna, a quibus reparandis ipsae leges liberum reddunt adsecuratorem. Quoties e. c. merces corruptibles internum detrimenntum ceperint, quin ideo prolsus interiere; periculum hoc adsecurato ipsi subeundum est. Navis autem cursu, fatali casu impedito, si quid detrimenti ad merces inde venerit, ab adsecratore restituendum est. d) Porro adsecurator nihil periculi subit, si navis gelu consitiat vel, ad servandum fese, portum ingrediatur quendam, ita, ut ne impensarum quidem, per commorationis dies factarum, respectus habeatur. e) Idem obtinet intuitu mercium, pecuniae atque argenti, eam ob caussam a fisco eruptarum, quod illae sive ab adsecurato ipso, sive eo sciente a nauta in telonio occultatae fuerint. f) Nec adsecurator ad impensas tenetur, propterea factas, quod navis ob contagium extra portum per tempus legitimum agere debuit; g) neque quidquam periculi restituitur ab illo, inde profecti, quod personae privatae ob ea, quae magistris navis credidere, sive navem ipsam, sive merces detinere curaverint. Denique nihil danni mercibus, quorum in polizza citra legis dispositionem expresse mentio facta non est, illati, aut ex adsecurati dolo profecti, ad adsecuratorem pertinet. h)

§. 22.

c) BUESCH l. c. p. 65.

d) H. A. O. t. V. a. 7. SCHWED.
A. O. a. 6. §. 13. Huc etiam pertinet, si mures, ratti ver-

mesve merces concenterint.

e) H. A. O. t. V. §. 6.

f) H. A. O. l. c. Schwed. a. 6.

§. 9. SANTERNA de adsecur.

p. 4. n. 17.

g) H. A. O. T. V. a. 6.

h) H. A. O. T. V. a. 5. SCHWED.

a. 6. §. 10.

In ipsius autem navis adsecuratione ea damna non restituuntur, quae ex usu ordinario ad ancorale aliquam navis partem perverterunt. i)

§. 22.

X. Ceterae conditiones, quas contrahentes polizzae adjiciunt.

Utique contrahentibus non a solitis modo conditionibus recedere, verum etiam tales adjicere licet, quae typis expressis contradicunt. a) Ad has autem quod pertinet, multum omnino interesse puto, utrum adsecurationis contractus exempla, sanctioni publicae inserta, non nisi consilii virtute gaudeant eumque potissimum in finem data sint, ne litium decidendarum regula desit: an vero illa directe legum prohibitory aut praeceptivarum naturam sequantur, ita ut contrario locus dari nequeat. b) Ab illis quidem partibus recedere licet, his vero strenue obtemperandum est. c)

Simulac contractus adsecurationis perfectus est, non nisi ex omnium contrahentium consensu unus alterve in polizza quidquam mutare, illice addere potest. d) Ac si unius objecti periculum a pluribus suscepimus est; ratione ejus, qui summam promissam subsignavit, contractus jamjam perfectus est, quamvis ceteri promissa sua haud subsignaverint. Hinc ille nunc quidem neque a contractu recedere,

i) VERSUCH UEBER ASSEC. p. 60.

a) H. A. O. T. IV. a. 1. Sed ex ANTW. A. A. O. a. 2. nullae conditiones addi possunt exemplo, nisi quae auctoritate publica munitae sunt.

b) ill. POPPE Diff. cit. p. 36. §. 3.

c) PHIL. VERORD. v. 1570. a. 2.
MIDDELB. A. O. a. 1. NEUSTE
ROTTERD. A. O. a. 74. 75.
AMST. A. O. a. 1.

d) H. A. O. T. I. a. 5.

dere, nec novas conditions addere potest; quippe quum ad perficiendam ipsius obligationem ceterorum adsecutorum subscriptione nequaquam opus sit. a) Interdum etiam initio contractui subscriptae que polizzae consentientibus adsecutoribus novae adjiciuntur conditions, quae tamen eos modo tenent, a quibus subscriptae sunt.

Negotiatoribus omnino integrum est, s preto proxenetalium §. 23.

XI. Nomen proxenetae, cuius ope adsecuratio inita est.

Negotiatoribus omnino integrum est, s preto proxenetalium usu, adsecurationalis contractum per semetipsos inire. b) Quum autem nunc ingens rei adsecuratae valor, nunc iniqua tempestas aut simile quid in causa sit, cur adsecurations non, nisi multo negotio perfici possint, illae plerumque proxenetalium ope conciliantur. Id quod Hamburgi per juratos proxenetas fieri oportet. c)

Horum autem officii summa fere redit, ut quoscumque adsecurationalis contractus, ipsorum auxilio conciliatos, libro proxeneticam adcurate inscribant, ut nihil desit, quod ad negotii probatationem pertinet. Pro praesitis operis, contractu perfecto, ab adsecutore regulariter $\frac{1}{4}$ pro C., ab assecurato $\frac{1}{8}$ pro C. solvuntur, nisi quod, ubi praemium quinquagesimam pretii rerum adsecutarum partem haud superat, merces proxenetica a solo adsecutore praestanda sit.

§. 24.

- e) EMERIGON T. I. p. 44.
- f) H. A. O. T. IV. a. 2.
- a) H. A. O. T. XXIII. a. 1. 2.
- BUESCH p. 74. §. 16.
- b) H. A. O. 1. c.

- c) H. A. O. T. XXIII. a. 2. AMSTERD. A. O. a. 38. 39. MIDDELBS. A. O. a. 10. ROTTERD. a. 78.

D

XII. *Obligatio adsecurati cunctia, quae intuitu rei adsecuratae comperta habet, cum adsecuratore communicandi.*

Obligatio, de qua hic sermo est, eo in primis nititur, quod adsecuratus fuso literarum commercio auxiliante & citius & facilius, quam adsecurator, de nave mercibusque adsecuratis certior fieri potest. a)

Quaecumque autem de rebus adsecuratis cum adsecuratore communicanda sunt, huic per proxenetam indicare, libroque, qui ejusmodi in usum in scriptorio adsecuratoris positus est, adcurate inscribi solent, additis simul, quae proxeneta penes se habet, documentis, b)

XIII. *Tempus, intra quod damnum restituendum est.*

Temporis spatium, intra quod damnum rei adsecuratae datum, resarcendum est, pro casuum varietate varium est.

1. Si tota navis periit, aut intercepta est, ne ullis quidem mercibus servatis, adsecurator, nuntio super casu hoc fatali per proxenetam accepto, duobus mensibus effluxis restituere tenetur damnum, quatenus illud satis certum est. c)

2.

a) H. A. O. T. XIV. a. I. t. XVI.
a. I.

b) BUESCH l. c. p. 71.

c) H. A. O. T. XVI. a. I. Contra damnum hoc ROTTERD. A. O. a. 68. COPENHAG. A. O.

post unum mensem elapsum,
AMSTERD. A. O. a. 28. MID-
DELB. A. O. a. 26. simulaque
illud probatum est, restituere
jubent, FR. SEER. I. III. t. 6.
a. 44.

2. Damnum; ex nave ab adsecurato derelicta, ortum post duos menses, momento illi, quo adsecurator navis derelictae certior reddebat, proximos refaciendum est. Solvendae autem sunt hocce casu 92 pro C. a)

Damno intra definitum tempus haud pensato adsecuratus, quatuordecim menses, ex quo navis abiit, computandos, opperiri debet. Quibus quidem effluxis adsecurator totam danni summam restituere, quid? quod adsecurato propterea satisdare tenetur, b)

3. Reliqua damna & havaria, si intra Europam data fuerint, intra unius anni, si minus, intra duorum annorum spatium, a damni dati die computandum, refacienda sunt. c)

4) Sæpe vero longiora iis, quorum mentionem feci, elabuntur tempora, usque dum adsecuratores damnorum restituendorum obligationem a idimplere valeant. Id quod accedit, quum documenta, ad probandum damnum necessaria, adsecurato non statim praesto sint,

S. 26.

XIV. Dies, qua polizza subsignata est.

Re vera tempus subsignationis nil facit ad contractum. Sunt tamen casus, quibus illud polizzæ necessario est adjiciendum.

D 2

I. Bis

- a) H. A. O. T. II. a. I. SCHWED.
A. O. a. II. §. 2. ex 4 mensibus: ROTTERD. A.O. a. 68, statim a tempore notificationis: MIDDLEB. A. O. a. 12. AMSTERD. a. 38.
b) H. A. O. T. XI. a. 2.

- c) H. A. O. T. XVII. a. I.
AMSR. a. 50. Ex MORE MARITIMO SUED. c. 6, 12. adsecurator, qui intra legitimum tempus hand solvit, 12. pro C. per annum praestare tenetur,

Bis quidem unam eandemque rem adsecurari non posse,
supra jam monui. Si quis vero ob dubiam adsecuracionem jamjam
initiam, aut errore ductus curaverit, ut res aliqua bis, eaque in diver-
sis locis adsecuraretur, tantum omnino abest, ut adsecuratus pro lubitu
definire queat, quaenam harum adsecuracionum servanda tollendave sit,
ut ne praemii quidem quantitas alicujus momenti habeatur, sed quo-
cunque casu polizza, quae prior subsignata est, consistat, posterior
vero per Ristorno tollatur. a) Cui quidem legi si adsecuratus haud ob-
temperaverit, posterior adsecuracionis contractus ipso jure nullus est,
quid? quod adsecuratus totum retinet praemium. b)

2. Deinde subsignatae polizzae tempus, eum in finem notan-
dum est, ut inde probare possimus, adsecuratum tempore contractus
jamjam scivisse, rem adsecuratam esse deperditam. c)

3. Denique prioritatis hypothecae in plurimum polizzarum con-
cursu recte definienda causa subsignatione diei opus est.

§. 27.

XV. Nomen adsecutorum una cum summa, a singulis adsecurata, sub
omnium bonorum cautione promissa.

Plures adsecratores, qui in una eademque polizza rei cujus-
dam periculum pro parte suscepserunt, ne in solidum obligatos credas.

Scilicet

- | | |
|---|---|
| a) H. A. O. T. VI. a. 3. l'ORD.
PHIL. II. a. 14. STRACCHA gl.
3. n. 3. STYPMANN p. 4. c. 7.
n. 506. p. 472. KURICKE Dia- | triba de adsec. §. 4.
b) H. A. O. I. c.
c) BUESCH l. c. |
|---|---|

Scilicet quivis eorum non, nisi de summa, de qua cavit, tenetur. Damnum itaque inter omnes ita dividendum est, ut singulus, absque ullo temporis respectu habito, pro summa suscepta datum periculum restituat. a)

Quoad hypothecam, quam adsecuratores adsecurato constituant, inter adsecuratores privatos atque adsecurationis societatem distinguendum est. Illi omnibus suis bonis; sociorum vero quisque, non, nisi pro rata bonorum in societatem illatorum (*Aktion*) cavit; id quod a societatis procuratore polizzam subscribente adnotandum est.

§. 28.

Enumeratis polizzarum requisitis, restat, ut de ipsarum interpretatione atque vi pauca addantur. Strictissime illa semper interpretabitur, ita, ut e. g. adsecuratione navis in genere facta, haec non, nisi quoad abitum, minime vero quoad redditum adsecurata censeatur. b) Anceps autem verborum sensus adsecurationum ordinationibus, consuetudini & naturali aequitati convenienter interpretandus c) & in dubio contra eum facienda est interpretatio, qui, a solitis recedens conditionibus, alias in suam ipsius utilitatem contractui adjecit, ideoque clarius sermone uti debuisset. d)

Ceterum, quisquis adsecurationis contractus, ab iis, qui in diversis plane locis vivunt, diversisque adsecurationum ordinationibus

D 3

utuntur,

a) H. A. O. T. VI. a. 2. VERORDN.
PHIL. II. a. 13. MIDDLEB. A.
O. a. 25. AMSTERD. A. O. a.
24. SCHWED. A. O. a. 552.

MAGENS p. 15. c. 14. ill. POPPE
in Disser. p. 20. §. 8.

b) STRACCHA de adsec. gl. 2. n. 3.

c) POPPE in Diff. cit. p. 37.

utuntur, initus, secundum jura ejus loci dijudicatur, quo initus & perfectus est. Perfectae vero adsecurationis locus iste adpellandus, in quo subsignata est polizza. Hic vero si peculiaris adsecurationis ordinatio haud vigeat, legem, quam partes sequi velint, in polizza definiiri oportet. Sic olim Hamburgi jura civitatis Antwerp. sequebantur.

§. 29.

Vis polizzae, secundum formam a legibus praescriptam confitae, eo consilit, ut damno rei adsecuratae dato, ex illa conveniri possit adsecurator. Actio autem, adsecurato competens, decem annorum spatio apud nos praescribitur, a)

Ad processum adsecurationis quod attinet, sumarius quidem, neque tamen processui cambiali aequiparandus est. b) Damnum illatum ejusque communio unoquoque casu, probatione indigent, unde satis adparet, instrumentis guarentigiatis neutquam adcenserit posse polizzam. c) Illud etiam monendum videtur, omnes lites, super adsecurationis negotia ortas, sub poenae centum thalerorum comminatione, priusquam in judicium Admiralitatis deducantur, ad arbitros esse deferendas. d)

d) I. 39. ff. de pactis SCHOTT.
LIUS de singulis in Germania
iuribus c. 23. §. 5. SANTERNA
de adsec. p. 3. n. 38.
e) H. A. O. T. XVII. a. 2.

b) KLEFFEKER T. VII. p. 579.
582.
c) KLEFFEKER I. c.
d) H. A. O. T. XIX. articul. I.
feqq.

THESES.

1. Negotiorum gestor culpam praefstat levissimam.
 2. Lite, per juramentum delatum decisa, compensationi impensarum processus indistincte locus est.
 3. Tortura haud in totum abroganda.
 4. Libertas, scripta prelo committendi, non est restrin-genda.
 5. Principi evangelico haud competit jus, verbi divini ministros ad certa symbola obstringendi.
 6. Delatio juramenti in causis matrimonialibus indistincte locum habet.
 7. In contractu aemulatorio dominium non transfertur.
-

Kg 4999. 8¹⁰

f



3

56.

KO 17

B.I.G

Farbkarte #13



DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA
DE
INDOLE ATQVE EFFECTIBVS
INSTRVMENTI ADSECVRATIONIS
QVOD VULGO
POLIZZAM
VOCANT
PRAESERTIM EX JVRE HAMBVRGENSI
SPECTATI

QVAM
AVCTORITATE INCLYTI JVRE CONSULTORVM
ORDINIS.

IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO
SVMMIS IN VTROQUE JVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS

DEFENDET
DIE V APRILIS MDCCCLXXXVI.
JOANNES MATTHIAS HASSE
HAMBVRGENSIS

GOTTINGAE
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.